[Quon]iam in huius mundi ergastulo et labentibus rerum bonis omnibus nobis providendum est ut adnisu q[...]
[...]tinus cum hoc iniquitatis mamona hoc agamus quatenus stadio laboris finito in eterna recipiamur tabernacula.
Unde ego HEINRICUS Curiensis sancte dei genitricis ecclesie provisor licet tanti nominis indignus in futurum
prospiciens pro anime mee ac parentum meorum remedio et pro redemptione animarum nostrorum predecessorum Vdalrici
videlicet et Arthemanni atque Tiethmari de presenti reddimus canonicis predicte ecclesie basilicam sancti Flori
ni que sita est in loco qui Rhemusciæ nuncupatur cum omni iure et assensu ad eam pertinenti et curtim cum omnibus
appendiciis eius quam prescripti antecessores episcopi ipsis iniuste canonicis surripuerunt et iniusta potestate
[h]actenus retinuerunt hoc scilicet sub tenore ut si quis quam nostrorum subdecessorum his contraire conetur bene fac[...]
[D]athan et Abyron participet. Hoc autem cum ipsis nostris pacti sumus fratribus ut quamdiu presentem duxerimus
[v]itam pro nostra caritate in nostre ordinationis die finita pro nobis oratione ac misse celebratione et convivium ex
ipsis prenominatis bonis preparatum cum alacritate annuatim conveniant. Ordinationis quidem nostre dies hic e[st]
[V]III kalendas maii quod est in vigilia sancti MARCI evangeliste. Post obitum autem nostrum in anniversarii nostri di[e]
[...]tide memoriam nostri agendo sibi preparent per singulos annos convivium. Insuper decem libras de decima came
re et episcopatus partem de precariis que in montanis episcopali acquirunt placito que beate memorie
Thiethmarus noster predecessor episcopus eisdem ad supplementum prebende dedit fratribus nos devote concedendo huius titu
latione noticie eis in perpetuum habendum confirmamus ac nostri adstipulatione sigilli insignimus.

Bischöfliches Archiv Chur / Schweiz

De donacione facta ꝯfirmacione de bonis in remuscie cañ eius ab heinrico eidē eccle epō.

H. 22.

Donavit Epus Henricus bona Ramusciæ Canonicis Curiensibus.

circa annum 1070.

NB. darin ligt ein Vidimus [illegible]
[illegible] graff [illegible]
[illegible] A°. 1395 [illegible]
[illegible] 1496 [illegible]
400 fl. [illegible]
[illegible] hypothecirt [illegible] 180 [illegible]

Bischöfliches Archiv Chur / Schweiz